

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Davis Latitans.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

profugum esse, neque mo certiore fecerunt  
 c) Quid dubitatis? quæ vos religio impedit? Cur  
 & vos mihi non paretis? Age Doego, circumveni  
 eos tu, & interfice. *D. Fiet.*

## SENTENTIA.

*Impius Princeps sanguinarius est, & suspitioni  
 iræque suæ magis credit & obsequitur, quam ve-  
 ritati. Miserrimum est cum iudice negotium habere,  
 qui veram causæ dictionem non admittit.*

## DAVID LATITANS. I Reg. 24.

## ARGVMENTVM.

David Saulum solum nactus in antro, ejus  
 penulæ oram abscindit. Deinde digressus,  
 alta voce apud eum innocentiam suam testa-  
 tur: Et Saulus suam injustitiam confitetur.

*Comites Davidis, David. Saulus.*

**A**t, deflectit Saulus in hoc antrum, ad a) pa-  
 rendum necessitati. b) Dies advenit, Da-  
 vid, quo die tibi Jova promisit, se tibi traditurum  
 tuum hostem in potestatem, ut eo utaris ad tuum  
 arbitrium. *D. Tacete, tacete: obrepam ad eum  
 pedetentim a tergo, dum ventrem exonerat. C.*  
 Quid facit? non eum interficit? o hominem in-  
 fanum, qui tantam, tam subito oblatam occasio-  
 nem

- c) Interdum major est tyrannorum crudelitas, quam ut  
 eis velint obsequi satellites.  
 a) Ad exonerandam alvum.  
 b) Mandani summo jure utendum censent: At spiritua-  
 les, de summo juré multum remittunt.

nem ulciscendi hostis non arripiat? *D.* Ah toto animo commoveor, posteaquam oram ejus penulæ abscidi. Avertat Jova, ut hoc ejus inuncto domino meo faciam, & ei manus afferam: vel hoc solo nomine, quod Jovæ unctus est. *C.* Nimirum religiosus est. Nos ipsi faciemus non ita cunctanter. *D.* Nolite Dei munus usurpare; Regem non fecistis, Regem ne delete. Ejusdem est abolere, qui creavit. Sinite eum. Jam exit, ego eum subsequar. Heus domine Rex. *S.* Equis me revocat? *D.* Cur fidem habes dictis eorum, qui dicunt Davidem tibi malum moliri? Vides profecto oculis tuis, ut hodie Jova in spelunca tui mihi fecerit potestatem: nec defuit, qui me in tuam necem cohortaretur, sed peperci tibi, meque negavi manus allaturum domino meo, qui esset unctus Jovæ. Sed vide, pater, vide tuæ penulæ extremum in manu mea: quod cum absciderim, neque te interfecerim, cognosce & intellige, nullum me scelus commisisse, nullum contra te facinus admisisse dignum, quamobrem meæ vitæ insidias tenderes. *c)* Suscipiat hanc Jova causam, teque mihi sine mea opera ulciscatur. Vetus est proverbium: A scelerato prodibit scelus. Te quidem mea manu non ulciscar. *d)* Cui tandem instat rex Israelitarum? quem tu persequeris? canem mortuum, pulicem, Jovam precor, ut hujus sibi causæ judicium suscipiat, measque partes defendens, tuas in me injurias persequatur.

*c)* Pii vindictum Deo relinquunt.

*d)* Turpe est, tantos viros tantulis infestos esse.

tur. S. Tuam ne ego vocem audio. David fili  
 hei mihi: e) tu æquum & bonum habes, qui mi  
 hi bonum pro malo rependeris, id quod fatis ho  
 die ostendisti, cum mihi (quem in tuam manum  
 Jova concluderat) mortem non intuleris. Nam  
 quotusquisque est, qui hostem suum nactus in  
 demnem dimittat? Sed te, pro isto tuo hodierno  
 in me facto, Jova condigno præmio remunerere  
 tur. Ego quidem f) scio te Regem futurum  
 & regnum in Israelitas obtenturum. Quare  
 g) mihi per Jovam jura, te meam stirpem post  
 meum interitum non esse excisurum, meive no  
 minis memoriam de mea familia deleturum  
 D. Juro.

## SENTENTIA.

*Injusti calumniatoribus facillime credunt. In  
 justum malum pro bono, justum contra bonum pro malo  
 reddunt: & Deus utrosque tandem pro meritis  
 remuneratur.*

ABIGAIL. 1 Reg. 25.

ARGUMENTVM.

Missi ad Nabalem famuli Davidis petenda  
 cibaria, repudiantur ab eo. Quo audito,  
 Nabalis uxor Abigail munera Davidi obviam  
 ferre

- e) Qui oratione persuaderi non potuit, is re persua  
 detur.  
 f) Hinc Saulum perspicitur peccasse scientem.  
 g) Impii pios, quos pro impiis habent, tamen reli  
 giosos esse credunt, cum eos jurejurando obstrin  
 gant. Alioqui eorum jurejurando non crederent.